Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

78

eos beatus Longinus increpare dicens. Qua occasione ha-
bitatis in simulacris et in aris istis? Demones dixe-
runt. Cum invenimus statuas decuroratas lapidum
ubi non invocatum est nomen Christi. nec signum eius inpositum est quod vos
adoratis quod est crux Christi. et invenimus sacrificia et liba-
tiones exercendas. in nomine nostro. pariter et loca et cul-
tores inhabitamus nostros. Ubi autem Christus non nominatur. et Christi signacu-
lum non est impositum; ibi est habitacio nostra. Ideo depre-
camur te homo dei Longine: ne nos precipites in abys-
sum. Beatus Longinus dixit astante omni populo. Quid vultis.
habere istos demones et colere: aut effugabo eos. Vi-
detis enim presidem istum virtute dei superatum. ipsum autem
me prostratum sub pedibus meis. Populus autem cla-
mabat dicens. Magnus est deus christianorum. Rogamus te sancte
Longine. ne sinas habitare demones in nostra ci-
vitate: ad interitum et perditionem nostram. Hec audiens
sanctus Longinus. elevans ad celum oculos et dixit. Domine Ihesu
Christe. scio quia semper me audis. et credo autem quia postu-
le quia prestas eas que ad salutem sunt peticiones. Et nunc propter
astantem populum. et propter humilitatem servi tui. ad exalta-
tionem glorie divinitatis tue: iube inmundos exire de cor-
poribus istis. quia opera manuum tuarum sunt domine. Et cum hec dixisset
beatus Longinus; exclamaverunt demones ita ut homines
audirent. Exierunt inmundi spiritus de civitate. et infra
ceciderunt in domum. Post paucum vero tempus ignominiosius
quedam corrupti sensus impudici iudicis. et expugna-
bat famulum dei Longinum. Unde iussit eum preses exhiberi.
Et inducto eo. dixit ei. Scis quia omnis civitas discessit.
a sacrificiis ydolorum propter tuas magicas artes. et si hoc
notum fuerit regi habebimus periculum magnum. et nos et ci-
vitas nostra. Afrodisius ergo quidam nomine contariensis dixit
presidi. Iste homo dei qui prestitit nobis salutem et bene-
ficium magnum nostre civitati. iterum inquietare incipis.
Octavius preses dixit. Fantasiam fecit. et seduxit sensus nostros.
Afrodisius contariensis dixit. Magnus est deus christianorum. et non est
aput illum fantasia ulla nec dolus. Noli ergo negare eum. neque
presumas quicquam mali adversus servum dei Longinum:
ne deterius aliquid contingat. Octavius preses dixit. Afrodisi.
iubeo amputari linguam tuam. ut non loquaris miserabilis.

Audiens hec sanctus Longinus dixit. Gratias tibi ago domine Ihesu Christe
fili dei vivi. qui nos preciosa passione redemisti; quia os-
tendisti et alium athletam ad testimonium nominis tui.
Cum ergo incideretur Afrodisii lingua. suspiravit cum magno
flet[...] gemitu. Et exclamans sanctus Longinus dixit. Domine
celo[...] Ihesu Christe fili dei vivi. qui es summe princeps: exten-
de manum tuam in presidem. ut cognoscat quia tu es deus
solus. et non est preter te alius. Et facta est vox ad eum de celo dicens.
Exaudite sunt orationes tue. Et statim manus domini facta est in pre-
sidem: et dissolutus continuo factus est cecus. Et videns Afrodisius
contariensis presidem non videntem lumen: exclamavit dicens.
Iustus es domine et rectum iudicium tuum. Preses Octavius dixit. Frater
Afrodisi. roga dominum meum Longinum ut oret pro me.
quia iniqua gessi in servum dei. Afrodisius contariensis dixit.
Nonne dixi tibi. noli inicere manum tuam in servos dei. quia deus
noster vivit et servus suus. sicut et me indignum fratrem
suum vides abscisa lingua loquentem. Preses Octavius
dixit. Frater Afrodisi. non solum oculos meos perdidi. sed et cor-
pus meum; et omnia viscera mea pessime cruciantur. Longinus
dixit. Si vis misericordiam consequi celeriter me fac puniri: ut post obi-
tum meum deprecer dominum ut aperiat oculos tuos sicut aperuit
oculos ceci nati. Et sententiam ei ex tabella recitari precepit:
et eum gladio iussit interfici. Et statim sanctus orationem fecit:
et sic eum ministri decollaverunt. Statimque preses abiit ad
beati Longini martiris Christi corpus. et procidens secum lacrimis
et gemitu et ululatu multo dicebat. Peccavi domine
peccavi: et iniquitatem meam ego cognosco. Statim ergo re-
cepit visum: et sanatus factus est ex illa hora. Accipiens autem corpus
beatissimi martiris Christi Longini. involvit illud linthe-
aminibus mundis. et condiens cum aromatibus
optimo in loco sepelivit. Et ipse preses Octavius
postquam sepelivit corpus beatissimi Longini
credens Christo permanebat cum predicatoribus fidei
iuxta sepulchrum ipsius glorificans et bene-
dicens deum. Passus est autem sanctus Longinus. IIII.
NONAS DECEMBRIS.